

scopum Civitatis Signia in Ecclesia Beata Mariae, ubi defunctum corpus quiescebat, inter Sanctos jussit adscribi anno ab ejus abscessu 58. S. P. Q. S. Meminit Martyrolog. Rom. sub die 18. Julii, plura de eo noster Petrus in auctario Chron. Casin. lib. 4. cap. 33. Vide etiam apparatus ad præfata edita opuscula Sancti Brunonis.

CAPUT XXXV.

DE JOHANNÉ.

Johannes Medicus, supradicti Constantini Africani discipulus & Casinensis Monachus, vir in physica arte disertissimus ac eruditissimus: post Constantini sui magistri transitum aphorismum edidit Physicis fatis necessarium. Fuit autem supradictis Imperatoribus. Obiit autem apud Neapolim, ubi omnes libros Constantini sui magistri reliquit.

Claruit Anno Domini MLXXII.

CAPUT XXXVI.

DE PAULO.

Paulus è Liguria Romanorum provincia ortus, & ab ipsa infantia occulto Dei judicio lumine privatus, & ob hanc rem literis, & philosophicis studiis ignarus, tantum usque in hodiernum diem de se miraculum præbuit, ut ab omnibus alter Didymus appelletur. Hic postquam scripsit alterationem Romanorum, & Græcorum, quæ facta est in Civitate Constantinopolitana sub Oderiso Abbate, Casinense Cænobium adiiit temporibus Paschalis II. Papæ, & Alexii Imperatoris: Super Esaiam, super Hieremiam, & super reliquos Prophetas: super Psalterium, super Matthæum, super Marcum, super Lucam, super Joannem, super epistolas Pauli, super Apocalypsim. Non solum autem Grammaticam, verum & reliquas artes auditu tantum plenissimè cordetenus didicit. Scripsit etiam Vitam S. Ebizzonis Monachi Casinensis, qui Hilarioni similis fuit. Extant & alia ejus librorum volumina, quæ in nostras manus nondum venerunt. Obiit autem apud Tiburtinam Civitatem.

ANNOTATIO.

Ultimis Henrici III. ac primis Henrici IV. temporibus scilicet anno 1100. claruit Paulus Genuensis, ab eodemque nostro Petro in auctario hist. Casin. lib. 3. cap. 47. Paulus Grammaticus etiam vocitatus; qui etsi oculorum lumine esset orbatus, tanto tamen in-

genii acumine fuit excultus, tantaque perspicuitate cæterorum sensuum extitit decoratus, ut ab omnibus venerari promeruerit, deque illo verè poterat dici: *Dominus illuminat cæcos.*

Sanctus Ebizo seu Gebizo, cujus Vitam descripsit noster Paulus, Colonia oriundus fuit, & Monachus Casinens. sub Desiderio Abbate; inter præclara ejus gesta refertur, quòd animam Adonis amici, quam Dæmones ad supplicium trahebant, precibus liberavit: notavit id etiam noster Petrus lib. MS. de ortu, & vita Justor. Casin. cap. 51. & in auctario histor. Casin. lib. 3. cap. 47. Vide Hugonem Menardum in Martyrolog. Bened. ad diem 20. Octobris, ac lib. 1. Dialog. Victoris Papæ III. pag. 20. Cætera opuscula, tempora nobis, ut credimus, inviderunt; sed quid tum, cum hisce temporibus inveniantur viri, qui pro eruendis antiquitatum prophanarum quisquiliis non solum in viscera terræ penetrant, verum etiam viscera opum profundunt, thesauros verò in viscosis sacrorum monumentorum, quæ animos beant, ita nauseant, ut obolo potius parcere velint, quàm hæcè literarias exquirere divitias.

CAPUT XXXVII.

DE BERNARDO.

Bernardus Casinensis Monachus liberalibus studiis optimè eruditus descripsit miracula S. Confessoris Christi Amici Casinensis Monachi: fecit & alia multa, quæ recensere superfluum duximus. Obiit autem nostro penè sub tempore.

ANNOTATIO.

Vita Sancti Amici Confessoris, quam Bernardus scripsit, inter nostra sacrorum monumenta MS. hæcenus inedita servatur, incipit: *Beatus Amicus genere nobili ortus in finibus Comitatus Camerini, &c.* Locus, in quo natus, Arabona in Piceno (nomen est Abbatia) apud Montem Melonem, nuncupatur. Ejus meminit Sanctus Petrus Damiani, ut Baron. annotavit ad ann. 993. ubi Amicum canonizatum esse, absque tamen solemnè ritu Ecclesie, scribit. Agitur dies festus die 3. Novembris, multisque clarus miraculis fuit. Vide quæ observavit Lauretus in notis ad Chron. Casin. in calce libri tertii, & Arnoldus Wion in notis ad Martyrol. Bened. Claruit Bernardus anno Dom. 1120.

CAPUT XXXVIII.

DE JOANNE.

Joannes Diaconus divina, & humana scriptura peritissimus, fecit verus in laudem Sanctæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ, & alia quamplurima, quæ ad nostros obtutus nondum venere.